

AD
 ORATIONEM ANNIVERSARIAM,
 IN
 MEMORIAM
 VIRI
 ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI,
 DOMINI
 AVGVSTI IVSTI,

CANCELLARII IN EPISCOPATV MERSEBVRGENSI
 QVONDAM GRAVISSIMI,

D. XXV. IVN. MDCCLXI.

HOR. VIII. MATVT.

AB SE HABENDAM,

QVAM HVMANISSIME INVITAT,

SIMVLQVE

DE

FAMILIAE SCHOENBVRGICAE

GENERATIONVM SVPPVTATIONE

BREVISSIMIS INDICAT

ADAM DANIEL RICHTERVS,

GYMNAS. DIRECT.



Quum opella nostra, exigua licet et tenuis, forte non omnibus forduerit, ego hoc propositum meum minime migrabo, sed illis, quae nuper de familiae Schoenburgicae origine, antiquitate, cet. exponere coepi, subnectendas ipsas generationes esse recordatus, redibo nunc ad ipsos istos Dominos de Schoenburg, quos, nuptiis junctos et in unitatem generationum congregatos, stirpem propagasse nouimus. Primus illorum, et qui a primo illo descenderunt, quos pagina nostra capere poterit, sunt insequentes:

HERRMANNVS II. de SCHOENBVRG, generis auctor, et ad quem Domini de Schoenburg originem sui, in serie generationis, certo jam nunc referre solent, *Glauchae* sedem habuit ac domicilium suum, qui quidem Glauchaviensis comitatus ad Dominos de Schoenburg longe supra sexcentos annos jam nunc pertinuit. Hic HERRMANNVS de SCHOENBVRG an. 1182. *Geringwaldae*, quod oppidulum Domini de Schoenburg in Misnia olim in possessione tenebant, coenobium in honorem B. Virginis et St. Iohannis Baptistae, potestatem et assensum praebente Papa, Lucio III. plantare coepit. Primum in isto coenobio, suo uocabulo *Eden* tunc nuncupato, Monachi ad regulam B. Benedicti, et deinde Moniales habitauerunt, HERRMANNVS uero ipse sibi in illo sepulchrum lapide excitatum parauerat. Stirps uirilis ex matrimonio eius fuit filius

HERRMANNVS III. de SCHOENBVRG, qui itidem *Glauchae* suos sibi penates positos habuit, et quem iam an. 1212. in litteris, quibus Imperator *Otto IV.* ad pacificationem quandam cum *Dieterico*, Marchione in Misnia, adiit, scriptum legimus. An. 1223. coenobium *Geringwaldae*, a patre aedificari coeptum, cum suo scripto et priuilegio tradidit, quam traditionem Papa demum, id rogatus, an. 1238. auctoritate sua stabilire haud indignatus est. Sed quom iam an. 1234. ANASTASIA de SCHOENBVRG maxima uirginum Deo dicatarum in isto coenobio & *Abbatissa* esset, secundum uerba emtionis libelli, qua praedium *Schannewitz* ad coenobium uenerat, qui libellus adhuc adest, illud in certissimum testimonium esse poterit, Monachos primum infiltratos non diu in isto coenobio commoratos fuisse, uid. *Kampradii Chron. Leisnicens.* pag. 429. *M. Heinii Hist. Rochitens.* pag. 150. et *Diplomat. MSt. Dominorum de Schoenburg.* Filius huic HERRMANNO HANNVS de SCHOENBVRG an. 1277. in uicis fuisse, tresque filios, REICHWEINVM, HENRICVM et FRIDERICVM II. ex se procreatos habuisse dicitur; quoniam uero *WVAEVS* in *Lexico Vniuers.* FRIDERICVM HERRMANNI filium nominat, praeterea uero non alium quandam, nedum IOHANNEM, omnino tres filii huius ipsius HERRMANNI sunt

1) *Reichwein* de SCHOENBVRG, qui in numero Canonicorum *Spiraë* et anno 1294. in uita fuit.

2) *Heinrich* de SCHOENBVRG, quem iam an. 1288. nominatum, an. 1318. *Pragae* Canonicum et *Litomerii* in *Bohemia* Praefulem constitutum nouimus. uid. *Diplomat. MSt. comitum de Schoenburg.*

3) FRIDERICVS II. de SCHOENBVRG, qui coenobio *Geringwaldens* an. 1261. ius de maioribus excessibus respondendi, an. 1288. partem dimidiam in pago *Wesitrop*, et an. 1297. totum pagum *Breunsdorf* concessit, quas deinde donationes reliqui Domini de *Schoenburg*, eodem an. 1297. d. 18. Ian. scripto suo firmare haud grauari sunt: uid. *Vorl. Gegen-Anzeige Jbro Keyserl. Majestät und Wero Kron Böbmen, der Grafen und Herren von Schönburg habens de Besugnisse, etc.* *Beyl. N. 3. P. 3. et M. Heinii Chron. Rochitens.* pag. 150. Hic FRIDERICVS de SCHOENBVRG pater fuit septem filiorum, quorum tres solummodo familiam profeminare potuerunt, qui sunt

a) HERRMANN de SCHOENBVRG, Dominus in *Hasenstein* et *Pirschstein*, cuius stirps sub initio seculi XVI. iam diu exaruit. An. 1291. hic HERRMANNVS cum FRIDERICO, DIETERICO et FRIDERICO, Domini de SCHOENBVRG, Monasterio in *Crimmitschau* materiam carbonibus faciendis credendam donauerunt, id quod testimonium sumere possimus, quod oppidulum *Crimmitschau* tunc in possessionem Dominorum de SCHOENBVRG uenerit, quum alii omnes Domini in *Crimmitschau* usque ad annum 1273. *Nobiles de Crimmitschau* suo uocabulo nuncupati sint. *Vid. Schoetgenii Diplomat. Tachlese X. p. 203.*

b) FRIDERICVS de SCHOENBVRG, sen. Dominus in *Glauchau* et *Waldenburg*, cuius prolem cognoscere nondum licuit.

c) FRIDERICVS de SCHOENBVRG, jun. Dominus in *Glauchau* et *Crimmitschau*, An. 1306. tempore suspecti periculi appropinquante, quum quique sollicitior in dies esset de insidiis Imperatoris audendis contra FRIDERICVM, Marchionem, foedus hic FRIDERICVS de SCHOENBVRG cum *Chemnicensibus*, *Zwiczauensibus* et *Altenburgensibus*, quas quidem tunc liberae urbes Imperii erant, in haec uerba composuit, ut, hostium incurSIONibus inopinato oppressi, sibi inuicem auxilium promitterent. *Vid. Schoenb. Vorl. Gegen-Anzeige, Beyl. A. 3. An. 1312.* Domini de SCHOENBVRG munus *Subpincernae*, quod in Romano Imperio subministraverant, *Bohemiae* transferendo tradiderunt, uid. *Ludewig. Reliqu. VI. pag. 31. et Lumig. Cod. Diplomat. I. p. 982.* An. 1314. HERRMANNVS et FRIDERICVS, Domini de SCHOENBVRG, percriptionem faciebant de urbibus et castellis in Misnia occupatis. uid. *Ludewig. Reliqu. VI. pag. 31. et Lun. Cod. Dipl. I. pag. 1046.* Anno 1317. hic FRIDERICVS de SCHOENBVRG domicilium sibi in oppidulo *Crimmitschau* stabilitum habebat, uid. *Schoetg. Dipl. Tachlese X. p. 203.* Vxorem duxerat *Mechtilden*, Comitissam *Geranam*, *Ruthenorum*

gente prognatam, ex qua prolem uirilem et foecundam habuit, altera quasi procreatrix gentis SCHOENBURGICAE. An. 1322. quatuor solidos nummulos quotannis Monasterio in oppidulo *Crimmitschau* conferendos donationis tabulis assignauit, *uid. Schoettg. Dipl. Nachlese X. p. 204.* An. 1323. uentionem quandam quarundam decimarum in *Stein* et *Boldenhain* per litteras addixit, *uid. Loebneri Ronneburg. Histor. Anhalt. p. 10. et Koenigii Adelz. Hist. I. p. 88.* An. 1334. fide inuicem firmata, coniuratus cum quibusdam equitibus indigenis, et aliis magnis proceribus, publice Principi, tunc gubernatori regionis, *Friderico I. Friderici* admorfi filio, Landgrauio in Thuringia et Marchioni in Misnia, inimicus et hostis esse coepit, ut etiam non nisi iussus ab ipso Imperatore *Ludouico* de ista sua contentione desisteret, *uid. Schoettg. Dipl. Nachlese X. p. 204. sqq.* Tandem an. 1335. *Glaucham* suam cum castello Marchionis in Misnia referre sublinebat, *Mechtilde* uxore consentiente, *uid. Vorl. Anzeig. Beyl. n. 32.* A Rege Bohemiae, *Iohanne*, cuius *Camerarius* fuit, an. 1346. contra regem Angliae, ut *Philippo*, Regi in Gallia, auxilio ueniret, longe a Bohemia proficiscente, *Bohemiae* aliquamdiu *Praefectus* constitutus in tumultu quodam ciuili, in Bohemia, ante aedem *D. Galli*, in urbe ueteris Pragae, prope forum Iudaeorum scrutariam facientium, misere demum ferro traueriberatus est. *uid. Dipl. MSt. Schoenburgica, Den Staat von Böhmen, fol. 107. et das Leben, Regierung und Absterben derer Herzoge und Könige in Böhmen.* Mortem patris sui tali fraude acceleratam quatuor filii tunc superflites deplorarunt, qui sunt

a) THEODORVS de SCHOENBURG, Dominus in *Hassenstein*, et qui *Commotouiae*, *Commendator* ibidem ordinis Teutonici, sine prole decessit.

β) HERRMANN de SCHOENBURG, Dominus an. 1345. in *Crimmitschau*, qui Monasterio huius urbis an. 1349. uariorum red tuum, qui annui erant, proprietatem, et an. 1351. tres marcas, monasterio pro missa matutina donatas, sub chirographo suo confirmauit. An. 1352. *Domini* de SCHOENBURG omnes simul regi Bohemae, quam *IGTI* ita dicunt, apocha cauebant. *uid. Schoenb. Vorl. Gegen Anzeig. Beyl. G. 3.* Et quum isti *Domini* ipsi inter se dissiderent, *Carolus IV.* Imperator an. 1355. illud negotium Marchionibus in Misnia imposuit, ut istos inter se dissidentes Dominos in gratiam reducerent. *uid. ib. Beyl. K. 3.* Teltis inter alios fuit hic HERRMANNVS de SCHOENBURG in litteris quibusdam a *Friderico*, Praefecto *Plauiae*, an. 1355. perscriptis, *uid. Schoettg. Dipl. Nachl. X. p. 206.* An. 1360. *Domini* de SCHOENBURG mutuo pacifecabantur contra Marchiones in Misnia in perpetuum, *uid. Vorl. Anzeig. Beyl. n. 33. et Vorl. Gegen Anzeig. Beyl. S. 3.* quibus deinde eodem an. 1360. Marchiones in Misnia passionem contrariam continuo intendebant, *uid. Schoenb. Vorl. Gegen Anzeig. Beyl. D. n. 3.* An. 1361. *Domini* de SCHOENBURG per litteras publice datas affirmant, quod oppidulum *Mare*, i. e. *Meranum*, titulo clientelae a Bohemia sibi concessum obtineant, *uid. ibid. H. 3.* Isto eodem anno 1361. conueniebant cum Monasterio *Francenhaußen* de rebus Iurisdictionem Monasterii attingentibus, et abalienabant an. 1367. *Stollberg*, oppidulum in montibus Misniae situm, tunc Bohemiae pretio addictum, *uid. Luinig. Corp. Iur. Feudal. Germ. I. p. 563. et ej. Cod. Dipl. I. p. 1319.* An. 1363. hic HERRMANNVS et *BVRCHARDVS* de SCHOENBURG, Domini in *Crimmitschau* et *Hassenstein*, de una marca, singulis annis soluenda, chartam, sigillorum impressione corroboratam, Monasterio *Crimmitschauen* conscribebant. *uid. Schoettg. Dipl. Nachl. X. p. 208.* An. 1371. Rex *Wenceslaus* *Domini* de SCHOENBURG litteras beneficiarias, ab Imperatore *Carolo IV.* olim exhibitas, denuo auctoritate sua in nouatas corroborauit. *uid. Vorl. Gegen Anzeig. I. 3.* Hic HERRMANNVS de SCHOENBURG in *Crimmitschau* et uxor ejus, *Mechtildis*, excitabant an. 1374. in isto oppidulo nosodochium, primum necessaria in usus istius suppeditantes. In litteris supra ista donatione datis distinctio est inter *Burgenfes* domus, quos HERRMANNVS de SCHOENBURG in castello habuit, et mercatores in urbe, ita ut *Burgenfes* et *Castellani* suo et proprio uocabulo appellati germanice non fuerint *Bürger*, sed *Burgmänner*, uiri nobiles, qui forte olim in Castello quopiam, duces militum constituti, excubias disponebant, arcem custodiis munientes.

γ) BERNHARDVS de SCHOENBURG, Dominus in *Hassenstein* et *Kringaw*, i. e. *Crimmitschau*, HERRMANNI frater, qui, sicuti iam supra dictum est, oppidulum *Stollberg* Regi Bohemiae, *Wenceslao*, sexagintis millibus sexagenis nummularum Bohemicorum, monetae Pragensis, simul cum fratre HERRMANNO uendidit. An. 1367. hic BERNHARDVS obtinuit ab Imperatore, *Carolo IV.* Rege Bohemiae, mandatum de immunitate ab omnibus teloniis, uectigalibus et portoriis in oppidulo *Schlettau*, quod quidem oppidulum Imperator Monasterio *Grunhain*, illo eodem anno 1367. in proprietatem dedisse legitur, *uid. Hornii Hand. Bibl. VI. p. 635.* quam deinde huius oppiduli traditionem Imperator *Sigismundus* an. 1436. denuo ratam habere uoluit. *uid. ibid. pag. 636.*

δ) FRIDERICVS de SCHOENBURG, Dominus in *Glauchau*, qui anno 1347. litteris quibusdam, et an. 1348. diplomati *Friderici*, Marchionis in Misnia, an. autem 1360. die *Mercurii* ante *Pentecosten*, foederi *Friderici*, *Balthasari*, Landgrauiorum, et *Wilhelmi* cum *FRIDERICO* de SCHOENBURG, Domino in *Hassenstein*, et *Iohanne de Waldenberg* ad repellendum hostem inuito, teltis subscripsit, *uid. Schoettg. Dipl. Nachlese X. p. 206. et Kreyßig. Beyträge*

zur Hist. der Sächs. Lande, p. 29. Hic FRIDERICVS de SCHOENBVRG censibus eti-
am in ecclesia metropolitana Chemnicii an. 1365. nomen suum dedit, *uid. Chron. Chemnic. in 2to.*
Part. I. pag. 116. Quod uero an. 1371. omnes *Domini* de SCHOENBVRG simul ab Imperatore
Carolo IV. et Rege *Wenceslao* Bohemiae, in comitatibus suis *Glauchau, Waldenburg* et *Lich-
tenstein*, denno inaugurati sint, id edocet *ex Vogelii Genealogia Schoenb. MSt. uid. Krey-
figii Beytr. p. 30.* Hic FRIDERICVS de SCHOENBVRG in matrimonio habuit *Catharinam*
de *Dohna*, et an. 1383. mortem occubuit. Filii ejus tunc superstitis fuerunt

1) FRIDERICVS de SCHOENBVRG, qui cum reliquis *Dominis* de SCHOENBVRG
an. 1390. se transnominatos *Dominos* de *Waldenburg* scripserunt. *Vid. Deduct. Saxon. contra*
Schoenb. in Beyl. p. 82. Hic FRIDERICVS an. 1394. publice indicabat, quod castellum
Hassenstein libi a Bohemia concessum sit, *uid. Lunig. Cod. Dipl. I. pag. 1406. et ej. Corp. Tur.*
Fendal. II. p. 141. An. 1405. tranlegit in *Hassenstein*, consensu uxoris suae, *Isae*, cum oppi-
dulo *Schlettau* de uehigali et opere tributario. *Vid. Hornii Sand. Bibl. VI. p. 632.* quod dein-
de oppidulum permutationis titulo tandem an. 1413. Monasterio *Grunhain* ab illo traditum est.
Vid. ib. III. p. 314. Sine dubio hic FRIDERICVS ultimus fuit *Dominus* de SCHOENBVRG,
qui castellum *Hassenstein* in possessione habuit, quod Rex *Wenceslaus* an. 1411. aut 1418. quum
Fridericus, licet in fide et ditione regis Bohemiae constitutus esset, regi se submittere nollet, per
regium Campimarefchallum, *Johannem de Lobkowitz*, ut ac per arma illi ademitt, et deinde
Nicolaus de Lobkowitz, ad compensandos in ista bellica expeditione factos sumptus, et ad demittendas
nonagentas sexagenas mutuo sumtas Grossorum Pragenfium, ad dies vitae possi-
dendum concessit. *Vid. Imhoff. Genealog. L. 5. c. 3.*

2) SIGISMVND de SCHOENBVRG, cuius Feudatarius fuit *Heintze*, germanica, von
der *Gabelens*, *gelesen zu der Ungewisheit*, *uid. Schoettg. Dipl. Nachlese X. p. 212.* Hic SI-
GISMVNDVS, iam an. 1390. *Dominus* in *Crimnitzschau*, ad eic an. 1396. litteris emtionis cu-
iusdam in *Crimnitzschau* ualorem auctoritate sua, *uid. ibid. 216.* Hic sine dubio ultimus *Domi-
nus* in *Crimnitzschau* fuit, toto isto agro postea sub ditionem principum regionis deducto, quam
iam an. 1414. *Wilhelmus II.* Marchio *Crimnitzschau*, anno ante forsitan appropriatum, quod
dicunt, possidendo obtinuit; et quaquam hoc oppidulum *Crimnitzschau* cum agro suo anno
1457. sub ditione *Ruthenorum* de *Plauia* fuit, *uid. ibid. 225.* tamen, quum principes terrae, *Erne-
stus* Elector et *Albertus*, an. 1472. iuri in Praefectura istius oppiduli *Crimnitzschau* dicundo a se
praepositum haberent, certum ex eo cognoscimus, *Crimnitzschau* tunc non amplius ad diti-
onem *Ruthenorum* pertinuisse.

3) VEIT de SCHOENBVRG, sen. cuius de controuersis, quas ipsum magnas an. 1386.
cum *Alberto*, Burgrauio in *Lisnik* alere oportebat, *Wilhelmus* demum, Landgrauio in *Thuringia*
et *Epicopus* *Misniae*, se in illas interponentes, constituerunt. *Vid. Fabric. Orig. Saxon. L. V.*
fol. 672. et Wolffii Heinrichii von Schönburg Personel. An. 1388. hic VITVS de SCHOEN-
BVRG et fratres eius, FRIDERICVS et SIGISMVNDVS, trecentas sexagenas a *Dominis* de
Weisbach mutuas sumebant. *Vid. Koenigii Genealog. Weisbach. p. 2.* Conuenta, quibus ER-
NESTVS et VITVS de SCHOENBVRG an. 1388. stare fanciebant, uideas in der *Vort. Ges-
genzeige, Beyl. R. 3.* Hic VITVS de SCHOENBVRG die *Mercurii* ante *D. Gallum*, an.
1390. cum castellis et oppidis suae ditionis, *Glauchau* et *Waldenburg*, foedus inibat ad *Marchi-
onem* *Misniae*, *Wilhelmum*, inuadendum. *Vid. Wolff. Heinrichii de Schönburg Personel. An.*
1406. hic VITVS de SCHOENBVRG comitatum *Hartensteinii* ab *Henrico*, Burgrauio *Mis-
niae*, primum pignoribus loco per octo annos, et deinde, hereditario iure uenalem, possiden-
dum accepit. *Vid. Lunig. Part. spec. Cont. II. von Grafen, p. 268. et Rouffet suppl. au Corps*
Dipl. I. part. 2. p. 315. Concessio juris de hoc comitatu possidendo ab Imperatore *Sigimundo*
Constantiae an. 1417. scripta est. *Vid. Lunig. part. spec. Cont. II. von Grafen p. 70.* Pro tes-
tificatione WOLFFII HENRICI de SCHOENBVRG uitae curriculum, conconiis funebri typis
exscriptae adductum, nouimus, quod hic VITVS de SCHOENBVRG, an. 1423. mortuus, mo-
do unam uxorem *Sophiam*, Comitissam de *Hohenstein*, in matrimonio habuerit, licet in sche-
dulis priuatis huic VITO prima uxor *Agnes* de *Schoenburg*, altera uero *Iutta*, Comitissa *Ca-
strensis* de *Lisnik*, adscriptae sint. Filii huius VITI de SCHOENBVRG fuit FRIDERICVS,
de quo gentis Schoenburgicae ueris parente alio die.

Iam enim illustris *Ictus* ac *Dominus AVGVSTVS IVSTI*, *Cancellarius* olim *Mers-
burgensis Grauisinus*, ad se meos oculos conuertit, cuius honorem laudetque ut futura Iouis die
hora octaua recolamus nos officium, me uero ad anniuersariam huius solemnitatis orationem or-
do Collegii nostri hoc anno uocat.

Rogo igitur et oro, modeste quidem et decenter, ut MAGNIFICVS et AMPLISSIMVS SENA-
TYS, VENERABLES SACRORUM ANTISTITES, et omnes VIRI, qui doctrina sua scientiaque ZITTAUIAE
inclareant, dumque *Cancellarii* manus fauent, et ejus gentis illustris admiratores sunt, huic
solemnitati beneuole interesse, suamque praesentiam Panegyri indulgere
uelint. Ser. Dom. V. Trinit.

ZITTAUIAE, TYPIBVS NICOLAI

AD
ORATIONEM ANNIVERSARIAM,
IN
MEMORIAM
VIRI

ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI,

DOMINI

IVSTI IVSTI,

IN EPISCOPATV MERSEBVRGENSI
VONDAM GRAVISSIMI,

D. XXV. IVN. MDCCLXI.

HOR. VIII. MATVT.

AB SE HABENDAM,

HVMANISIME INVITAT,

SIMVLQVE

DE

E SCHOENBVRGICAE

NERATIONVM SVPPVTATIONE

BREVISSIMIS INDICAT

DANIEL RICHTERVS,

GYMNAS. DIRECT.

